Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26015
Copyright: Admont, Benediktinerstift

multi sunt. Propter caput nostrum reconciliamur deo. quia in illo est divinitas unigeniti
facta particeps immortalitatis eius essemus. Hoc sacramentum longe est a cordibus sapien- mortalitati nostrae ut nos [?] participes
tium superborum. et ideo non christianorum ac per hoc non vere sapientium. illorum etiam dico
sapientium. qui cognoverunt deum. quia cognoscentes deum sicut dicit apostolus. non sicut deum glo-
rificaverunt aut gratias egerunt. Nosti autem in quo sacrificio dicatur. gratias agamus domino deo
nostro. A cuius sacrificii humilitate longe abest typhus et cothurnus illorum. et ideo
multum mirabilis res est. quemadmodum quorundam non dum cognoscentium deum
sit habitator deus. et quorundam cognoscentium non sit. Nec illi enim ad templum
dei pertinent qui cognoscentes deum non sicut deum glorificaverunt et gratias egerunt.
et ad templum dei pertinent parvuli sanctificati sacramento christi regenerati spiritu
sancto. qui certe per aetatem non dum possunt cognoscere deum. Unde quem potuerunt illi
nosse nec habere. ante quam nosse isti potuerunt habere. Beatissimi sunt autem quibus hoc est
deum habere quod nosse. Ipsa namque notitia plenissima. verissima. felicissima est.
Hic iam oportet etiam illam quam post epistulae tuae subscriptionem addidisti pertractare
quaestionem. si adhuc ignorant parvuli deum quomodo Iohannes ante quam nasceretur.
ad adventum et praesentiam matris domini in suae matris utero exultavit. Cum enim comme-
morasses te legisse librum meum de baptismo parvulorum. addidisti et aisti.
Ne pugnantibus quid sentias opto cognoscere. cum de credulitatis fide a puero matris Iohannis
baptistae respondit. Haec sunt verba Elisabeth matris Iohannis. Beata tu inter mulieres.
et beatus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi. ut veniat mater domini mei ad me. Ecce
enim ut facta vox salutationis tuae in auribus meis. exultavit in gaudio infans
in utero meo. Hoc autem ut diceret sicut evangelista prolocutus est. repleta est spiritu sancto. quo procul
dubio revelante cognovit. quid illa exultatio significasset infantis. id est
illius venisse matrem. cuius ipse praecursor et demonstrator esset futurus. Potuit ergo
esse ista significatio rei tantae a maioribus cognoscendae. non parvulo cognitae.
Nam neque cum hoc ante in evangelio narraretur dictum est. credidit infans in utero eius. sed
exultavit. neque ipsa dixit. exultavit in fide infans in utero meo. sed exultavit
in gaudio. Videmus autem exultationem non solum parvulorum sed etiam pecorum. non
utique de aliqua fide vel religione. vel quacumque rationali cognitione venientem. Sed
haec plane inusitata et nova extitit. quia in utero. et ad eius adventum quae ho-
minum salutem fuerat paritura. ideo mira. ideo magis signis deputanda. ideo
haec exultatio et tamquam matri domini reddita resalutatio. sicut solent miracula
fieri. facta est divinitus in infante. non humanitus ab infante. quamquam et si usque adeo